

V 9
5988





QK. 190.

QK. 190. 2

de hospitibus et aduersariis Chemnicis

Q. D. B. V

AD

Vg
5988

MEMORIAM
DIVI LVTHERI
RECOLENDAM

QVAM
IUVENES QUIDAM PII ET INDVSTRII
QVINQVE ORATIONIBVS LATINIS

ANNO ∞ IO CC XVI

IPSO

REFORMATIONIS FESTO

SACRIS ANTEMERIDIANIS PERACTIS
RENOVABVNT

OMNES LVTHERO AB EODEMQVE REPVRGATAE
DOCTRINAE

BONISQVE ETIAM LITTERIS FAVENTES
SIGILLATIM

MAGNIFICVM EPHORVM IVXTA ET AM
PLISSIMVM HVIVS VRBIS SENATVM
LYCEVM VITTEMBERGENSE

OBSEQVIOSE ET PERAMANTER INVITAT
PRAECONE ET INTERPRETE

M. CHR. FR. KRANEVITTERO CHEMNIC

P. L. C. ORD. PHIL. ADI. ET MEMORATI LYC. RECT



1770
III

MEMORIAM
DIVI IUSTINI
RECOLLIGENDAM



RECTOR
MAGNIFICI M. IUSTINI
PLISSIMUS
LITTE
M. CHR. FR. KRANE
P. A. C. ORD. PUBL. ADL. ET MEMORABILIS





I. I.
Vn memoria praecipui coe-
tus purioris ornamenti, et
singularis praesidii, Diui Mar-
tini Lutheri, Doctoris quon-
dam nostratis, et felicissimi
sacrorum Reformatoris, e-
mendataeque doctrinae Re-
ductoris, recolenda, posteritati-
que commendanda est, omni et
orationis apparatu, et conquisi-
tis uerborum elegantis carere
poterimus. Siue enim sanctam,
quam gessit, uitam, siue doctri-
nam, qua praeditus fuit, siue
summa eius in religionem, quam
profitemur, nostram merita res-
picias, ab omni parte uenerabilis
Senex se ita probabit omnibus
iustis ac aequis rerum arbitris,
ut commendatione nostra opus
nequaquam sit. Nec uideo, cur
ille publico honoris et famae
testimonio sit ornandus, qui ceu
Hercules alter, nunquam est
uituperatus, praeterquam ab iis,
quibus uiuens pestis, moriens
ipsa mors fuit. Verum nemo
sana mente praeditus uel tantil-
lum moratur hoc ignauum fucorum
pecus, utpote quod pungendo
omnem amittit aculeum, hoc est,
aliis meliora et ueriora edoctis,
sua calumniandi libidine semet
ipsum deridendum propinat. Quilibet
uero emunctioris naris homo,
uel me tacente, intelligit, hic monachos,

genus illud hominum, qui abdomini, non Deo, seruiunt, non sacra, sed cuticulam curant, notari, quorum incredibilis mentiendi audacia eousque progressa est, ut, nescio quae, horrenda dictu, tetra et obscoena Luthero nostro affinxerint. Pudet omnino ea in scenam reuocare, et publice proponere, quae de ortu Diui Viri satis impudenter mentiti sunt illi homines, quibus tamen mendaciis ipsi nihil aliud sibi, quam insignem infamiam, conciliarunt. Quemadmodum enim olim Seniores illi libidinosi atque iniusti, qui Susannae pudicitiam uiolare conabantur, pugnante suo de arbore, sub qua cum iuvene quodam eam inuentam esse aiebant, testimonio, se uniuerso populo risui exponebant et ludibrio, poenasque debitas dabant; ita quoque diuersa pontificiorum et pugnantis relatio de incubo, et succuba, cuius opera Lutherum genitum esse delirarunt, ipsis monachis tantum impressit dedecus, ut, omni fide amissa, insignes hodie mendaciorum architecti audiant. De suppliciis, quae iustissimus hominum iudex de auctoribus harum fabularum iam fumsit, ac in posterum de aliis nugiuendulis, Patrum suorum sequacibus, fumet, nihil addam, ratus, eos iram Dei grauissimam tempestiue sensisse, et sensuros. Nobis aliter per-

persuasum est de origine B. Lutheri, siquidem eam secundum naturae leges factam, et honestissimam fuisse, optimorum annalium auctoritate, sanaque ratione permoti, affirmare non dubitamus. Neque sic repulsi quiescunt Aduersarii, sed, uiribus collectis, cornua sumunt, nouum impetum in sanctam illibatamque Lutheri famam facturi. Quis ignorat Bzouium? quis Tyraeum? utrumque gloriae Lutheri iuratum hostem. Hoc nobile par fratrum, ad comminiscendum ingeniosum, arguit B. Lutherum, quod, cum Maximilianus, Imperator, Augustae Vindelicorum comitia imperialia celebrans, patentibus ualuis, ut moris est, pranderet, et cum aliis Lutherus triclinium prudentis Imperatoris ingrederetur, ipsius humeris daemonem incumbentem corporea forma Imperator conspexerit. Verum quos modo ad comminiscendum ingeniosos nominaui, illos hebetes et stupidos ad probandum nunc appellare liceat. Dicunt quidem illi nugiuenduli, Maximilianum, Imperatorem, at quantum testem! haec uidisse; sed pax! illico probabo iis ex iis, quae consecuta sunt, rem ita sese habere non posse. Namque, si Maximilianus illud in Luthero obseruasset, non sane illum Septemuiro religiosissimo, Saxoniae Duci, Ioanni Friderico, per legatum, a laudato

Septemuiro missum, commendasset, ut hunc monachum tutaretur et in sinu foueret; fore enim breui eius operam ualde necessariam contra iniurias et conatus Romanensium. Obmutescant igitur perfrictae frontis homines, qui talia, et huius furfuris quamplurima B. Lutheri scelestae ac nefarie affinxerunt. Huc illud refero, quod garriant, Lutherum preces corpore referto potu ac cibo fudisse suas, pietatemque tantum simulasse. Verum et hoc falsissimum est, id quod testimonio Philippi Melanctonis, qui huic commento, si quisquam alius, fortiter se opponit, comprobari potest. Saepe enim, inquit, interueni, cum lacrumans ardentibus precationibus pro tota dixit ecclesia. Sumebat enim fere sibi quotidie tempus ad Psalmos aliquos recitandos, quibus sua uota gemens et lacrumans miscebat: ac saepe dixit, se succensere istis, qui aut propter ignauiam, aut propter occupationes dicunt, satis esse solo gemitu precari. Ideo enim orandi formulae nobis diuino consilio praescriptae sunt, ut lectio mentes accendat, et uox etiam profiteatur, quem Deum inuocemus. Illud praecipuum est et singulare, quod precando a cogitationibus semper abstrahere potuerit alienis animum, et sic tota mente Deo adhaerere. Plura non adiicio, quandoquidem haec suffectu-

ra

ra putarim ad confundendum ipsos Aduersarios.
Eat nunc quis, et dicat tantum tamque religiosum
oratorem a diabolo originem traxisse, uel saltem
cum diabolo, cuius regnum potius recte docen-
do, pie uiuendo, et sancte precando, fortissime
oppugnatum iuit, familiariter uixisse, neminem
sibi applaudentem inueniet. Ne autem in omni-
bus me durum praebeam et difficilem Aduersariis,
hoc illis dare possum, quod Lutherus mirum
in modum a diabolo, non sibi amicissimo, sed
infensissimo, diuexatus sit. Possem exempli loco
unam alteramque diabolicam uexationem ex
Matthesio, qui longa serie eas commemorauit,
ac praeterea de factis et uita Lutheri praeclara
omnia exposuit, expromere; sed in gratiam
monachorum ea iuuat adscribere, quae VVierus
a Melanchtone se accepisse testatur. Refert au-
tem ille, Lutheri aedes aliquando accessisse mo-
nachum, fores uehementer pulsantem: cui,
cum famulus aperiret, ac sciscitaretur, quid
uellet? Num domi esset Lutherus? quaerit mo-
nachus. Re cognita Lutherus eum ingredi iu-
bet, quod nullum multo tempore uidisset mo-
nachum. Ingressus hic habere se quosdam er-
rores papisticos ait, quorum nomine libenter
cum ipso conferret, proposuitque syllogismos,
quibus haud difficulter a Luthero solutis, alios,
pro-

„protulit, explicatu minus faciles. Unde offen-
„sus nonnihil Lutherus in haec prorupit uerba :
„multum mihi faceffis negotii; aliud enim, quod
„iam agerem, erat : simulque surgens locia mo-
„nacho propositi expositionem ostendit, atque
„in illa collatione manus monachi non esse aui-
„um unguibus dissimiles animaduertens inquit :
„Tune es is? Ausculta ! Sententia haec aduersus
„te promulgata est : Semen mulieris conteret
„caput serpentis. Quo percepto uictus daemon
„abiit fremebundus. Litterae etiam loquan-
„tur, quas sua exarauit manu. Ad Serenissimum
„enim Principem, Ioannem, Electorem, Ducem
„Saxoniae, aegrotantem, anno millesimo, quin-
„gentesimo, trigesimo quarto, scribit : Me has,
„Serenissime Princeps, tam breuiter et strictim,
„atque insulse exarasse litteras, haud aegre in-
„terpreteris, humillime obsecro, atque obte-
„stor. Caput enim meum atque ingenium ab
„hostili salutis ac sanitatis prosperae aduersario
„ita mihi obtunditur, ut neque litteras dare,
„neque mandare aliquid litteris ualeam. Ex
„quibus omnibus, ut credo, satis apparebit, diabo-
„lum non Lutheri uel patrem, uel matrem, uel
„amicum fuisse, ut nonnulli cum ratione insanien-
„tes monachi garriunt; sed inimicum, sed aduer-
„sarium, sed hostem. Perstat itaque gloria de-
„cusque

cusque Lutheri, tametsi multi illud labefactare
 cupide laborarint. Quodsi vero hac ratione
 gloria Lutheri minui debilitarique non potuit,
 sed media inter mendacia magis magisque ex-
 splenduit, inutilem profecto nauaremus ope-
 ram, si illum nostris encomiis, quibus omnibus
 longe superior est, ornare uellemus. Nostrum po-
 tius est in uitam huius sanctissimi Senis, tanquam
 in speculum, intueri, et ex illa cognoscere, quid,
 remotis omnibus, quibus deformamur, naeuis
 et maculis, nosmet ipsos ornare, et apud opti-
 mos quosque commendare possit. Neque hac-
 tenus alia mens fuit quibusdam nostrae fidei et
 disciplinae commissis, qui, uitam Lutheri re-
 colentes, regulas quasdam, uitae bene institu-
 endae, feliciterque transigendae, profuturas,
 sibi formarunt, insuperque id dederunt operae,
 ut praecipua ad uitam beati Lutheri illustran-
 dam breuibus comprehenderent orationibus,
 quas hodie, praesentibus fandi peritis, *ex prom-
 pta memoria* recitabunt. Laborem uero o-
 mnem ita inter se partiti sunt, ut quilibet tria
 momenta dicendo complecteretur; hinc, pau-
 cis, praefaminis loco, praemissis, dicet

B

IO.



IO. GODOFR. CLANNERTVS,

Zeudensis Saxo,
iuuenis diligens, et ultra seculi praesentis geni-
um probus, Venerandi sui Parentis, ut spero,
scipio futurus, de Megalandri nostri patria, pa-
rentibus et educatione, tum

IO. CHRISTOPH. HENNIGVS,

Iessena Saxo,
multis animi dotibus, iis praesertim, quae ad
Musicam itemque Artem Pöeticam requiri so-
lent, a natura condecoratus, de eiusdem doctri-
na, uitae genere, et publico officio, exponet,
tandem

IO. GVILELMVS MVCHOVIVS,

Rotstochiensis Saxo,
ingeniosae politaeque mentis alumnus, pluri-
mumque Reuerendi sui Patris Filius non dege-
ner, primaque spes, de rebus gestis, moribus
ac morte, perorabit. Quibus se adiungent

IO. GEORGIVS HAVPTMANNVS, et
IO. MICHAEL LOESERVS, Vittembergenses,
iuuenes laude ingenii, diligentiae, obsequii et
pietatis non defraudandi, qui animum induxe-
runt, Lutherum in tenebris papatus adhuc de-
gentem

gentem, multisque uitae et fidei erroribus obnoxium, contemplari, adeoque dubias Lutheri uias et superstitiones, quas quidem serua insecuta fuit ex parte Lutheri poenitentia, duabus orationibus complecti. Et quoniam HAVPT-MANNVS in lucem Academicam, me ipso Vitrico et Praeceptore non inuito, ex umbris scholasticis prodire gestit, nobis nostrisque Musis simul *latino carmine ultimum* acclamabit *uale*; cui *ualedicturo*, quod haud indignus, quem plausibus prosequantur ceteri, idem LOESERVS, honorifice plaudens, fausta quaeuis ominabitur ac precabitur, tandemque gratias decentes auditorio aget. Quod reliquum est, fauebitis, Viri litterati, huic instituto, et, *peractis ante meridiem sacris*, in auditorio Lycei nostri inferiori ad audiendum conuenietis frequentes. Praesertim humillime inuitatos uolo Magnificum nostrum Praesidem, iuxta et Viros Consulares omnes, Patronos nostros indulgentes, ut sua praesentia honorifica calcar currentibus addant, suoque fauore alios ad industriam et uirtutum aemulationem exstimulent, ac tandem nobiscum Deum Immortalem precentur, ut candidissimum illud, quod ministerio operaque Lutheri de suo lumine in mentibus nostris accendit lumen, ne offuscari unquam,



79 5908 01
quam, exstinguue, sed plena clarissimaque lu-
cere luce, et longius longiusque spargere sinat
radios, qui, quicquid tenebrarum in aliis locis
residet, perrumpant fortiter, atque illustrent. V. F.

Liceat mihi adhuc meminisse trium iuuenum
egregia indole et magno uirtutum cumulo in-
structorum, uidelicet

CARL. GOTTLIEB EICHLERI, Vittemb.
IO. LVDOVICI KVHLII, Annaeburgensis,
IO. HIERONYMI DE WEDIG, Vittemberg.
quos pariter publico, eodemque bono, testi-
monio mactandos esse censeo, quamuis priua-
tim habitis tamen orationibus, bene elaboratis,
nobis ualedixerint. Illi enim, quamdiu apud nos
uixerunt, uixerunt autem per plusculos annos,
nunquam facile suas neglexerunt partes, sed,
probe explendo eas, ita sese scholae Magistris
approbarunt, ut, non sine omnis felicitatis ap-
preccatione, in pace sint dimissi, et nunc omnibus
de meliori commendentur. Adsit porro Deus
benignus horum ac reliquorum conatibus libera-
libus, ut aliquando insignia Templi ac
Curiae euadant ornamenta et
columina!

VITTEMBERGAE
LITTERIS SAMVELIS KREVSIGII

M C



ULB Halle
007 773 676

3



1078







B.I.G.

Farbkarte #13

Inches
Centimetres

libus et aduersariis

Q. D. B. V

AD



MORIAM LVTHERI OLENDAM

QVAM
QVIDAM PII ET INDVSTRII
ORATIONIBVS LATINIS

NO 8 13 CC XVI

IPSO

ATIONIS FESTO

TEMERIDIANIS PERACTIS
RENOVABVNT

O AB EODEMQVE REPVRGATAE
DOCTRINAE

TIAM LITTERIS FAVENTES
SIGILLATIM

EPHORVM IVXTA ET AM
HVIVS VRBIS SENATVM

VITTEMBERGENSE

E ET PERAMANTER INVITAT
CONE ET INTERPRETE

ANEVVITTERO CHEMNIC

L. ADI. ET MEMORATI LYC. RECT

